

ille maxime rideret, tum istis haud temere dolendum esset? sub hoc esse tuta cuiusquam salus poterat, defensa pudicitia, aut secure cuiusquam fortune? quid illa eiusdem voce tetrius^(a), qui optare se aiebat ut unam cervicem haberet populus Romanus^(b), non quidem ut illam exornaret aut tueretur, sed ut facile secare posset^(c)? 5 Nerone quis preterire posset^(c), qui omnis crudelitatis ac^(d) turpitudinis in se summam collegit? Octavium quoque iuvenem et Tiberium adicere his senem possumus, et Domitianum spurcissimum. sed deesse in hanc partem exempla non possunt. illa rariora sunt, si meminisse clarorum principum volumus, ut Octa- 10 vius senex, et Titus iunior, quem « humani generis delicias » appellant^(e); Vespasianus quoque, parens eius, si avaritiam cohibere potuisset^(f).

Nam de polyarchia^(g), que est multorum principatus, hoc michi videtur, ut inordinata plurimum mali, composita non multum boni 15 habere in se possit. nam, si passim omnes in magistratibus esse possint, quid sordidius, quid inconsultius, aut quid impotentius? sin vero qui boni dicuntur presint^(h), et civitas potentioribus regatur, fastus⁽ⁱ⁾ semper nobilitatis in plebem; e contra, plebis odium, iniquitas iudiciorum, peregrinorum abiectio, avara atque superba 20 dominatio; tum vero et nobilitatis factiones et secte^(b), tum harum ipsarum duces; atque ita semper⁽ⁱ⁾ in summa pace civile bellum habeatur. ac de^(k) tumultuosa compositaque^(l) republica quid aliud dici potest nisi (quod habeat) quotidianas cedes, direptiones bonorum, exilia, carceres, ac semper, expulsa parte, partem alteram in- 25 terius renaturam? huius autem rei esse plurimum finis solet, ut ad unum civitas conferatur, qui componat omnia omnesque sub legibus, itaque fit ut omnis multitudo ad paucos vel ad unum redigatur. idque ipsum necesse est, si debeat esse pax equa et concors communio^(m) et legum iustitieque observatio. nam prudenter 30

(a) *P R* eiusdem vita deterius (b) *B³* ut *p. R.* unam cervicem haberet (c) *B B³* possit (d) *B P* aut (e) *I codd.* danno polyarchia (f) *Codd.* presunt (g) *P* iactus (h) *Codd.* sectas (i) *B* om. semper che mancava pure in *B³*, ma vi si trova aggiunto da altra mano nell'interlinea. (k) *B³* *P* ne de *B* corr. ne in hac (l) *P* incompositaque (m) *B* ex conscor c. cōiō

(1) Suet. *De vita Caesarum libri*,
C. Calig. XXX, 1; XXXII, 3.

(2) Id., Div. Tit. I, 1.

(3) Id., Div. Vespas. XVI, 1.